



Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse.
Laptulajdonos: Katolikus Középtiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 223-808).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).


Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1940-41. 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

Allocutio Gubernatoris Hungariae, Nicolai Horthy.

Latine reddidit Val. Fehér O. S. B. (Pápa).

Summo cum gaudio hinc Claudiopoli (= Kolozsvár) saluto partes Transsilvaniae recuperatas. Post acerbissimos XXII annorum dolores ad effectum perductum est id, quod futurum esse nunquam, ne momentum quidem temporis confidere desinebam. Ac nunc, cum tandem assisto hic in libero sólo liberae Transsilvaniae, adeo sum huius magnifici temporis amplitudine commotus, ut vix verba affectu animi mei digna reperiam.

Gaudium horae praesentis in meo pectore confunditur cum dolore maeroreque praeterito, et si quaero mecum in animo, qui nobis isti dolores contingere potuerint, ex vera animi mei sententia respondeo: id non nostró vitio accidisse. Fato nos hic in confinio Orientis et Occidentis constituti sumus; patria nostra in transitu et quasi in via publica gentium migrantium vastantiumque per



Nic. Horthy Gubernator equo vectus urbem liberatam Magno-Varadinum introit.

multa saecula tamquam arena bellorum fuit assiduorum; itaque dum ceterae felices nationes Europae in tranquillo opibus augebantur ac convalescebant, nos bellis continentibus sanguinem fundebamus, interibamus, minuebamur.

Interim alienae gentes in nostros fines irrepebant, sive quod hostes fugiebant, sive quod melius hic se beatiusque victuros sperabant. Quos maiores nostri non solum recipiebant, sed omne etiam ius libertatis eis impertiebant idque etiam lege eis despondebant.¹ Hic igitur, etsi nulla fuit causa, cur iure quisquam de ulla opprobria quereret, tamen ista querela fuit titulus patriae nostrae mutilandae, discernendae, affligendae. Non arma nos regionibus spoliaverunt: falsum illud mendaxque foedus pacis hoc fecit.

¹ quomodo. ² biztosít = verbürgen = garantir

Per.
Lat
020



Sed velo tegamus harum rerum tristium memoriam. Finem cepit iniqua huius terrae fortuna, ex qua haud scio, an aliquid bonum et utile remaneat. Non enim ignoramus et animum et corpus rebus secundis, otio nimiaque securitate molliri atque corrumpi, cum oppressio et dolores laboresque hominem corroborent, vires augeant intentumque servant in eo patriae amorem. Credo ego nostros fratres liberatos, qui his diebus gaudio exultantes nostris militibus huc ingredientibus flores sparserunt, et animo et corpore sic confirmato redire in sinum gremiumque patriae, erga quam vel gravissimis temporibus pii fidelesque fuerunt. Quod hic reditus media parte flagrantis Europae nullo sanguine effuso fieri potuit, hoc loco nunc ex animo gratiam tribuo duobus illis potentissimis validissimisque imperiis amicitiam nobiscum coniunctis, Germaniae et Italiae.

Iam in exitu est hoc saeculum³ nostri populi tristissimum; festum sequantur dies profesti atque negotiosi. Unusquisque nostrum capiat partem laboris, item illi, qui alieno sermone utuntur; nam in quibus nihil est, quod reprehendatur, iis apud nos quoque tranquillo vitam agere licebit. Ratio et voluntas reconciliationis atque humanitatis erga eos valebit, et speramus fore, ut nostri quoque fratres, qui ultra fines manserint, itidem⁴ tractentur. Quae promittimus, servabimus; liberale enim et generosum nostrae nationi innatum atque insitum ingenium nunquam nos de via iustitiae declinare patietur.

Omnes Hungari, qui procul absunt, nunc hic animis se adesse opinantur. Sincero summoque amore affecti cogitamus nobiscum eos fratres, qui nunc in avitam patriam non reverterunt. Rogo eos, ut in loco perdurent et operam suam tranquille navare pergant. Fortunae eorum advigilamus et advigilabimus. Fatemur scimusque magnis illos quidem nunc affici vexationibus, sed credimus labores eorum mox finem esse capturos: alioquin⁵ fieri non poterit, ut Hungarorum cum Valachis coniunctio in melius vertat; magnopere hoc credimus etiam commodo eorum, qui sunt in Hungaria, Valachorum.

Cum materiam et indolem⁶ Transsilvani generis ferream et multa patientem pugnacemque recte noverim, summam confidentiam respicio iuvenes quoque illic adultos eosque invito, ut in hoc discrimine rerum per commodum patriae nostrae totiusque Europae enixam⁷ dent operam studiis conatibusque nationis. Favor Dei populum Hungarum prosequatur ad futuros annos feliciores atque ampliores.

Postremum gubernator comiter gratias egit pro salutationibus pronuntiatis.

³ korszak = Zeitalter = époque ⁴ épen úgy = eben so = de même ⁵ ellenkező esetben = anderenfalls = en cas contraire ⁶ veleszületett tulajdonság = angeborene Beschaffenheit = nature, qualité innée ⁷ odaadó = eifrig = fervent

LECTARIUS MINIMIS.

Jocosa.

1. **Institutio¹ illustrativa¹** Georgius parvus primum ducitur a patre suo in vivarium,² qui etiam educare vult filium et interrogat eum: «Reminiscerisne adhuc, quid cenaverimus die³ solis?» *Filius*: «Ita, pater, assum⁴ capreae.» *Pater*: «Sic est. Et hic vides capream vivam.» Procedunt et pater iterum interrogat: «Et quid cenavimus hodie?» *Filius*:

«Gallum⁵ Indicum.» *Pater*: «Ita, fili mi care, et hic vides gallum Indicum vivum.» Et cum iterum porro eunt, sic loquitur Georgius parvus: «Pater nunc velim hubulam⁶ capsicam⁶ vivam videre!»

2. **Socialitas.**⁷ Si homines urbani⁸ convivium⁹ comparant,⁹ homines urbanos invitare solent. Lumen convivii praeclarus fidicen¹⁰ aut cantor¹¹ vocis¹¹ acutae¹¹ notissimus est. Et post convivium expectant, dum hospes celebratus auditores delectet. «Magister, certe nobis cantando gaudium afferes?» interrogatur. «Libenter! Sed tantum post ducem maiorem (= generalem)» respondet ille. — «Post generalem?» — «Ita est. Inter hospites vidi generalem cohortis¹² tormentariae.¹² Suum cuique! Si ego cano, ille globulos¹³ mittere¹³ debet ex tormento¹⁴ suo, ut hospites delectet.»

¹ szemléltető oktatás = Anschauungsunterricht = enseignement par l'aspect ² állatkert = Tiergarten = jardin zoologique ³ vasárnap = Sonntag = dimanche ⁴ ózsült = Rehbraten = rôti de chevreuil ⁵ pulyka = Truthahn = dinde ⁶ gulyás = Rindgulasch = goulach ⁷ társas szellem = Geselligkeit = sociabilité ⁸ finom = fein = fin ⁹ estélyt ad = eine Gesellschaft geben = donner une réception ¹⁰ hegedűművész = Violinkünstler = virtuose du violon ¹¹ vulgo = tenorista ¹² tüzérségi = Artillerie = artillerie ¹³ löni = schießen = tirer ¹⁴ ágyú = Kanone = canon. *Andreas Besskó* disc. gymn. Acad. Bp.

1. **Matrona** quaedam iuniorem se esse simulabat, quam erat et dicere solebat: «Ego triginta annos¹ nata¹ sum. Tandem quidam amicarum eius cavillans:² «Verum esse debet, quod dicis, — inquit — nam hoc iam viginti per annos audio.»

2. **Avus³ Caii** avarus est. Caius tamen pecuniam accipere ab eo vult et narrare coepit: «Ave, nocte de te somniavi et accipi abs te decem nummos.» Avus respondet: «Habe⁴ tibi illos nummos, non debes reddere, quia nunc bonus es.»

3. **M. Tullius Cicero**, cum Lentulum, generum⁵ suum, exiguae⁶ staturae⁶ hominem, longo gladio accintum vidisset: «Quis — inquit iocose — generum meum ad gladium alligavit?»

Johanna Jackson

disc. lycei Lucanensis (Helvetia).

¹ éves = Jahre alt = âgé de ² gúnyosan = spöttisch = ironiquement ³ nagyapa = Großvater = grand-père ⁴ megtart = behalten = garder ⁵ vő = Schwiegersohn = beau-fils, gendre ⁶ kis termetű = von kleinem Wuchs = de taille exigüe

1. **Quidam homo** it ad medicum et queritur, quod caput dolet. Medicus dicit ei: «Dic quinquagies: non dolet caput meum.» Homo facit, quod medicus iussit, et non dolet caput eius. Ire vult. Medicus interrogat «Ubi merces est?» Homo respondet: «Dic quinquagies: accipi mercedem.»

2. **Quidam discipulus** interrogat socium suum: «Fuisti iam asellus (= asinus parvus)? Alii respondet: «Non.» Primus: «Itaque subito factus es tantus asinus?»

Ladislau Balogh disc. Széchenyiani Bp.

Quid cenaverit dux Ali? Dux Ali magno cum exercitu venit contra Hungaros. Mathiae mos erat veste¹ mutatam¹ vultum tegere, cum hostes specularem² voluit. Tunc veste mercatoris indutus sacco³ hordei³ pleno onustus mercator ivit in castra Turcarum, Ante tabernaculum⁴ ducis sedens

¹ álruhában = verkleidet = déguisé ² kikémlél = auskundschaften = espionner ³ árpászsák = Gerstensack = sac d'orge ⁴ sátor = Zelt = tente

animo⁵ intento⁵ omnia observabat. Postero die reversus duci Ali epistolam scripsit his verbis: «Pessime tabernaculum tuum custoditur. Heri⁶ ego ante tabernaculum tuum sedebam, sacco hordei pleno onustus. Et nunc dico tibi, quid cenaveris: panem et in olla⁷ aurea carnem⁸ vervecinam». Ali legens epistolam tantopere perterebatur, ut statim castra⁹ moveret.⁹

Georgius e baronibus Orczy
disc. cl. B IV collegii Piani (Pécs)

⁵ figyelmesen = aufmerksam = avec attention ⁶ tegnap = gestern = hier ⁷ fazék = Topf = pot ⁸ ürühús = Hammelfleisch = viande de mouton ⁹ odább állt = aufbrechen = lever le camp

Facetiae¹ Transsilvanienses.

Scripsit: *At. Weber* disc. Schol. Piarum Bp.

1. Rusticus quidam Transsilvaniensis varia instrumenta emendi causa in urbe commorabatur. Negotiis² perfectis² vesperā ludos circenses spectatum in amphitheatrum (= circum) ibit. Ibi — inter alia — et domitor³ ferarum³ quidam praeclarus cum leonibus suis spectari potuit. Domitor ingressus est in saeptum⁴ leonum, ubi spectacula periculosa dedit. Sed egressus probabiliter⁵ oblitus est portam saepti claudere, quare leones ipso abeunte repente evaserunt. Spectatores magno timore affecti invicem conculcantes⁶ ruerunt⁷ ad portam amphitheatri. Rusticus autem quiete in arenam ivit, ingressus est in saeptum vacuum, et clausit ianua. Ibi in tuto fuit.

2. Episcopus quidam Transsilvaniensis aliquando epulas⁸ sollempnes⁸ dedit. Invitatus erat etiam praeter permultos alios civis quidam, qui gloria⁹ suā notus erat. Et nunc statim indicavit


episcopo: «Domine Excellentissime, Sua Maiestas Rex et Imperator me Cruce¹⁰ honoris¹⁰ decorare dignatus¹¹ est». Episcopus nihil ostentatori¹² respondit, sed inter cenam repente sic allocutus est civem: «Et quando suspendent carissime?» Civis propemodum¹³ decidit de sella istis verbis auditis. «Quid? Quomodo? — inquit — Domine Excellentissime?» tremens. «Interrogavi tantum, mi fili» quando Crux honoris Vestro in collo suspendetur, — dixit ridens episcopus.

3. Consuetudo erat in quodam Transsilvaniae viculo,¹⁴ ut is, cui pecus quaedam furto¹⁵ abactum¹⁵ esset, priusquam iudicium deferret¹⁶ ad iudicem, rem parochi¹⁷ enarraret. Qui dein dominica¹⁸ sequenti post contionem (= praedicationem) pronuntiavit fratri N. et N. hoc aut hoc furto abactum esse, et iussit furem nomen¹⁹ profiteri,¹⁹ nam alioquin²⁰ se libro caput²¹ eius percussurum²¹ esse. Fur nunquam nomen dedit, sed semper sub sellam se retrahebat, ne libro percuteretur. Sic manifestum factum est, quis fur esset.


¹ tréfa = Witz = plaisanterie ² dolga végeztével = nach Verrichtung seiner Geschäfte = après avoir réglé ses affaires ³ állatszédítő = Tierbändiger = dompteur ⁴ ketrec = Käfig = cage ⁵ valószínűleg = wahrscheinlich = probablement ⁶ letapos = mit den Füßen treten = fouler aux pieds ⁷ rohan = rennen = se précipiter ⁸ díszebéd = Festmahl = banquet ⁹ dicsekvés = Prahlerie = vantardise ¹⁰ érdemkereszt = Ehrenkreuz = croix d'honneur ¹¹ méltóztatott = geruhen = daigner ¹² dicsekvő = Prahler = vantard ¹³ csaknem = fast = presque ¹⁴ falucska = Dörfchen = hameau ¹⁵ ellop = stehlen = voler ¹⁶ feljelentést tesz = Anzeige machen = porter plainte ¹⁷ plébános = Pfarrer = curé ¹⁸ vasárnap = Sonntag = dimanche ¹⁹ jelentkezni = sich melden = se présenter ²⁰ különben = widrigenfalls = autrement ²¹ fejéhez vág = an den Kopf werfen = lancer à la tête

Embaterium Transsilvaniense.


Versus scripsit *v. Julius Somogyváry*, ad modos aptavit *v. Antonius Náray*.
Convertit *Vincentius Bors Szegedinensis*.



1. So - nu - it ve - lox In - ce - den - di vox Triumphant no - stra
Jam di - ru - tus est Fi - nis ir - ri - dens, Mon - tes pris - ci nos



1. De - nu - o si - gna. Ter - ra dul - cis, ad - su - mus, Vi - tam pro te
Ma - nent Hun - ga - ros.



fun - di - mus; Scy - tha vin - cit im - pe - tus, Nostra ru - ens ma - nus.

2. Sonant campanae Et in vallibus, Nusquam est ullum Cantate, montes,
Iugis Hargitae, Qua procedimus. Atroux vinculum, Vos quosque, valles.
Terra dulcis, adsumus etc.

LECTORIBUS MEDIIS

Quomodo linguam Latinam discamus.


Scripsit: *Margaretha Bella* disc. Ursulani Scarabantini.

Magistra in classe mensae assidet, discipulae veniunt.

Elisabetha, Caecilia, Xenia, Margaretha, Emese et Martha venientes: Salve¹ Magistra!

*Magistra: Salvete discipulae carissimae!
Helena et Agnes (veniunt): Salve magistra,
salvete discipulae.*

Magistra: Silentium! [Oremus!



«Porta Hungarica» in urbe Kolozsvár.

Omnes: Credo unum Deum, credo unam patriam. Credo divinam sempiternam iustitiam. Credo resurrectionem Hungariae. Amen.

Magistra: Residatis! Quis abest vestrum?

*Hebdomadaria:** Nemo.

Magistra: Cur heri afuisti? Margaretha!

Margaretha: Aegrotavi.

Magistra: Loquamur de historia Romana! Dic mihi aliquid de feminis Romanis, de quibus anno superiore didicistis, Xenia!

Xenia: Anno superiore de Cloelia et Lucretia et Veturia discibamus.

Magistra: Recte respondisti. Quid possumus discere a Cloelia? Martha!

Martha: Cloelia virgo Romana erat. Quondam Romani Porsennae pignori² pacis obsides dederunt. Cloelia duodeviginti annos nata frustrata³ custodes, inter tela hostium Tiberim tranavit, et comites Romam reduxit. A Cloelia discere possumus patriam nostram non solum verbis amare, sed ei etiam factis prodesse.

Magistra: Bene habet! Quis erat Lucretia, Agnes?

Agnes: Lucretia matrona eximiae virtutis erat.

Magistra: Perge Margaretha! Quid scis adhuc de Lucretia?

Margaretha: Quondam iuvenes regii certabant, cuius uxor optima esset. Romam venientes hic nurus⁴ regias convivio luxuque tempus terentes vident, Lucretiam autem nocte serā inter ancillas ac se lanae deditam inveniunt. Nos quoque sequamur exemplum Lucretiae et propensissimā⁵ voluntate laboremus, ut Hungaria iterum magna in futuro sit!

Magistra: Probissime! Cognoscitis-ne Veturiam Elisabetha?

Elisabetha: Volsci Romanis bellum inferre voluerunt. Brevi occasionem belli indicendi invenerunt. Coriolanus Romanis maxime infestus erat et ideo ipse dux belli electus est. Manus magna feminarum in castra Coriolani ivit, ut virum iratum reconciliarent.

Finis sequetur.

¹ Jó napot! = guten Tag! = bonjour! * singulare discipulae per hebdomadam munere praeconis funguntur ² zálog = Unterpfand = gage ³ félrevezet = täuschen = tromper ⁴ meny (fiának neje) = Schwiegertochter = belle-fille ⁵ készséges = bereitwillig = dévoué

De Transsilvania.

Scripsit *Oscarus Suszter* Zalaegerszegiensis.

Summa cum laetitia salutavimus tot pulchras nobisque carissimas regiones redditas, tot milia Hungarorum redeuntium, totque celeberrimas urbes Hungaricas recuperatas. Quarum unamquamque,¹ Szatmár, Nagybánya, Marosvásárhely, ceterasque animo laeto celebramus, sed praesertim Kolozsvár (Claudiopolis) est cordi² nobis, quae per saecula plurima, etiam 22 annis novissimis tristis imperii externi focus lumenque culturae Hungaricae erat, unde radii lucis per totam dispergebantur Transsilvianiam. Cuius urbis omnia monumenta nos illustrium Hungarorum vitaeque animi Hungarici admovent. Hic integra cerni³ potest³ illa domus antiqua, in qua rex noster ille celeberrimus, Matthias Hunyadi, saeculo XV. natus est. Hic eminent unica Transsilvaniae universitas litterarum regno Hungarico condita, quae scholae superiori a principe Stephano Báthori saeculo XVI. fundatae successit. Multaeque per totam urbem animis oculisque observantur domus vel arte, vel rebus in illis gestis illustres, quamquam pars aedium priscarum iam diruta est. Annis novissimis devastatum est etiam illud aedificium anno 1821 erectum, quod primum erat domicilium stabile artis⁴ scenicae⁴ Hungaricae. Kolozsvár ceteraeque urbes redditae semper artissimis⁵ coniungebantur vinculis animi cum vita totius Hungariae, ideo nobis carae sunt, sed cara est etiam terra Siculorum⁶ cum regionibus amoenissimis et gente sua fortissima impigerrimaque rediens.



Inscriptio: Oriens redit.

Finis sequetur.

¹ minden egyes = jede = chacun ² drága = teuer = cher ³ látható = es ist zu sehen = on peut voir ⁴ színművészet = Schauspielkunst = art dramatique ⁵ szoros = eng = étroit ⁶ székely = Szekler = Sicule

Nuntii recentissimi.

Germania et Italia cum Iaponia foedus militare iecerunt. Sic Civitates Foederatae Americae Septentrionalis forsitan impediri possunt, quominus Anglis auxilium ferendi causā bellum Germanis Italisque inferant. Iaponenses viam, quae per Indo-Sinam in Sinam fert, occupaverunt, ne Tsang Kai Sec praeses et supremus dux Sinae, quae ad bellum opus¹ sunt,¹ accipere possent. Quare nunc Angli per Burmam Sinensibus adiumenta belli mittunt.

Fratres nostri in Rumania abs cohor²te ferrea non solum vexantur, sed crudeliter trucidantur et permulti pecuniā omnibusque rebus suis exspoliati expelluntur. Sunt, qui seminudi,³ aut vulnerati in patriam nostram advenerint longissimum iter pedibus⁴ facere coacti. Iam fere 50,000 horum miserorum in oppidis Transsilvaniae aluntur, qui in via a Rumanis saepe etiam prohibebantur, ne aquam ex puteo⁵ haurirent. Linguā Hungaricā uti vetatur. In urbe Arad, quam a. 1849 tredecim martyres sanguine fuso consecraverant, domina linguā Hungaricā loqui ausa a praefecto⁶ militum⁶ Rumano in publico colaphis⁷ percussa⁷ est. In urbe Temesvár asinus in ecclesiam catholicam propulsus est tabulas inscriptionibus contumeliosis⁸ impudicisque⁹ abundantes portans. Quousque tandem?

¹ szükségés = nötig = nécessaire ² gárda = Garde = garde ³ félig meztelen = halbnackt = à moitié nu ⁴ gyalog = zu Fuß = à pied ⁵ kút = Brunnen = puits ⁶ katonatiszt = Offizier = officier ⁷ felpofoz = ohrfeigen = gifler ⁸ sértő = beleidigend = outrageant ⁹ szemérmelen = unzüchtig = impudique

Monachus Hricsonensis. (2)

Fabula plebis descripta a Victore Rákosi. Latine reddidit: Jos. Guelmino Bp.

Ecce autem, cum in hac aedicula iucunde calida sederemus, fragor intolerabilis tremefecit³⁸ ratem. E manu Alexandri bibentis poculum semihaustum³⁹ excidit. «Fulmen tetigit⁴⁰ flumen» — exclamavit.

«Fortasse ratem» — dixi, paene surdus⁴¹ fragore. «Age, aspiciamus!»

Elabebamur ex aedicula. Imber paullulum iam temperabat furorem. Et statim cerni⁴² potuit,⁴² sed Iosephus quoque monstravit, quid fulmen tetigisset. Sub arce Sztrécsnó, in medio monte, flammis ardebat ingens et patula⁴³ arbor, cuius lumen colore sanguinis diffundebatur in rate, undisque fluvii furentibus.

— Arbor veterrima, ducentorum annorum, dixit Iosephus quiete. Quotannis tangitur fulmine et tamen vivit et frondescit.⁴⁴

Andreas, socius eius, spatium inter nos et arborem oculis metiens:⁴⁵ «Non multum aberat, quin fulmine tangeremur» dixit etiam ipse quiete.

Tempestas autem furorem edidisse videbatur: nimbis discissis⁴⁶ interdum luna quoque prolapsa est. Regio tota divinā⁴⁷ illuminatione stetit ante nos. De montibus murmurando praecipitabantur⁴⁸ torrentes⁴⁹ in fluvium. Etiam Slovaci nostris ignibus factis sese arescere⁵⁰ curabant, et dormire cooperant.

Et nos quoque dormitabamus. Et non animad-



Domus, ubi Mathias rex natus est (pag. 12).

vertebamur Slovacos nostros iam primā luce ratem solvisse. Ad oppidum Zsolna autem et nos surreximus.⁵¹ Non procul hinc in parte dextra castellum vetus apparuit, ubi fluvii sinus⁵² paeninsulam efficit. Tunc ex improvise⁵³ videmus Iosephum expallescentem⁵³ se cruce⁵⁴ signare⁵⁴ et: «Ibi, ibi videtis monachum Hricsonensem?»

Cuncti aspeximus. In ripa confragosa⁵⁵ altaque fluvii videbamus monachum quendam. Paenulatus⁵⁶ stetit ibi cum funiculo albo. Franciscanus erat. Staturā magnus, in manu baculum tenebat. Baculum in crucem desiit.⁵⁷ De collo pera⁵⁸ dura dependebat. Et quasi manu libera⁵⁸ signum dedisset. Ratis oboedienter ripae appulsa erat.

— Qui estis, homines boni, quove tenditis iter? — interrogavit monachus.

— Sumus metropolitani,⁵⁹ et ut cognoscamus patriam, peregrinamur.

— Portate vobiscum etiam me, sacerdotem pauperem et senem! Pedes mei itinere iam vulnerati sunt.

Et a nostris adiutus ascendit ratem et: «Laudeur Iesus Christus» salutavit nos. Omnium primum obtulimus ei ientaculum,⁶⁰ ova, farcimen⁶¹ et panem, ille autem repudiavit omnia. Voverat enim se, si morbus sanaretur, nihil praeter panem et aquam sumpturum esse. Nunc ex iis thermis⁶² proficiscitur, unde claudi⁶³ more sanorum euntes discedunt, ut etiam ille, qui nunc domum pergit

³⁸ megremegtet = erzittern machen = secouer, faire trembler ³⁹ félig kiürtett = halb ausgeleert = vidé à moitié ⁴⁰ becsap = einschlagen = tomber ⁴¹ süket = taub = sourd ⁴² látható volt = es war zu sehen = on pouvait voir ⁴³ terebélyes = weitverzweigt = au vaste feuillage ⁴⁴ lomhosodik = Laub bekommen = se couvrir de feuilles ⁴⁵ mér = messen = mesurer ⁴⁶ szétszaggat = zerspalten = déchirer ⁴⁷ tündéri = feenhaft = féerieque ⁴⁸ lefelé rohan = jählings sich herabstürzen = se précipiter ⁴⁹ záporpatak = Gießbach = torrent ⁵⁰ megszárad = trocken werden = sécher ⁵¹ felkel = aufstehen = se lever ⁵² kanyarulat = Krümmung = boucle ⁵³ elsápad = erblassen = pállir ⁵⁴ keresztet vet = sich bekreuzigen = se signer ⁵⁵ szakadékos = holperig = anfractueux ⁵⁶ csuhában = in Mönchskutte = froc ⁵⁷ végződni = auslaufen = être terminé par ⁵⁸ tarisznya = Ranzen = besace ⁵⁹ a fővárosból = aus der Hauptstadt = de la capitale ⁶⁰ reggeli = Frühstück = déjeuner ⁶¹ kolbász = Wurst = saucisse ⁶² hévíz = Heilquellen = eau thermale ⁶³ sánta = hinkend, lahm = boiteux

per pedes apostolorum in urbem Tyrnaviam (Nagy-szombat). Et postquam a Deo sic adiutus erat, nihilo adigi⁶⁴ potest, ut ieiunium⁶⁵ grave frangat.

— Quot annos natus es, reverende pater — interrogavi.

— 72 annos natus sum — respondit.

— Et cur senex ieiunio tam gravi teneris?

— Sacerdos sum, mi fili, et exemplo esse debeo omnibus. Totam vitam Deo dedidi.⁶⁶ Mihi cibus potusque non voluptati sunt, sed instrumento, quo ad vitam sustinendam uti debemus. Nunc autem etiam istis cibus tenuibus⁶⁷ abstineo me, ut gratias agam Omnipotenti, qui me doloribus liberavit et misere perire non concessit. Ad tempus⁶⁸ nihil aliud esurus sum, nisi quod in oratione nostra quotidiana inest...

Et revera panem vilissimum prompsit,⁶⁹ ni-grum; de quo frustra⁷⁰ frangens manducabat.⁷¹

Continuabitur.

⁶⁴ rábír = zwingen = persuader ⁶⁵ böjt = Fasten = jeun ⁶⁶ szolgálátára szentel = widmen = consacrer ⁶⁷ egy-szerű = dürfítig = frugal ⁶⁸ egy időre = eine Zeit lang = pour un temps ⁶⁹ elővesz = hervornehmen = tirer ⁷⁰ falat = Brocken = morceau ⁷¹ majszol = verzehren = grignoter

LECTORIBUS MAIORIBUS.

Librorum recensio.

Bernardini Ramazzini: De morbis artificum diatriba. Introductionem scripsit *Franciscus Claudi Mayer*. Pag. XXXIII + 228. — A. 1928 medicis morborum ex infortuniis et artificii oratorum ad congressum Budapestinensem convenientibus muneris ergo et in memoriam artis suae auctoris liber iucundissimus lectuque dignissimus oblatum est. Quem librum a. 1700 a Bernardino Ramazzini (1633—1714) celeberrimo suae aetatis medico compositum multis licet erroribus ne dicam superstitionibus, ut erat iis temporibus status medicinae, scateat, ob mores, consuetudines et instituta tamen, quae describuntur, cum medicis, tum culturarum investigatoribus et cum insuper copiosa, volubili atque eleganti scriptus sit latinitate, de rebus modernis scripturientibus quoque vehementer velim commendatum.



Lectores nostri Csurgonenses cum professore Iosepho Tóth doctore.

Dr. vitéz Mészáros Ede: A horatiusi satira sermoja (De Horatianarum satiarum sermone) Pécs, 1932. Pag. 80. — Eduardus Mészáros I. B. Hofmannum secutus, qui libro «Lateinische Umgangssprache» inscripto fabulis comicorum Plauti et Terenti Ciceronisque epistolis usus sermonis, quem dicunt urbanum proprietates definivit, circumscripsit, illustravit, sed Horatii satiras ex sua nescio quo pacto disputatione procul ablegavit, Hofmanniana de sermone urbano praecepta iure meritoque in satiarum sermone describendo, explanando adhibuit. Commentatio eius, omni laude digna est, si accuratissimam diligentiam spectaveris, qua pensum suum ita absolvit vix ut supra esse posset; nec infitiri possum utilissimum Latini sermonis exploratoribus suppeditasse adminiculum. At vero is Hofmanni vestigiis nimium institit. Sed propter spatii exiguitatem, quod mihi praesto est, de urbano et vulgari sermone propediem disserturus sum. Nunc tantum quaedam perperam animadversa et cogitata, quae mihi legenti primo aspectu obviam sese dedere, notabo. Pag. 23: in deliberativis et consultativis sententiis a scriptoribus Ciceronianae aetatis alium modum nisi coniunctivum non adhiberi, falsa opinio est (Stolz-Schmalz Lat. Gramm.² p. 554). Pag. 29: Tempora praesentia historica et infinitivos historicos non solum in satiris spississima esse, sed quo sit narratio legenti praesentior, etiam a rerum scriptoribus saepissime usurpari, nimirum constat. Pag. 31: Futuri, quod dicunt exacti naturam et usum Kroll in opusculo etiam a Mészáros adlato rationi magis congruenter explicat. Non possum non mirari non Latine scriptam esse hanc commentationem, quae omnino digna est quae etiam philologiae alienigenis nota sit.

Car. Als Bp.

Vivum Latinum. I.

Recitatio Latina radiophonica: «De palatio S. Stephani regis Strigoniensi.»⁽²⁾

Budapestini die Sancti Stephani regis (20-o m. Aug.) ab *Antonio Leopold dr. canonico Strigoniensi* habita:

Alia autem membra domus regalis tempore Belae IV. satis nova, splendida, superlativo decore romanico fulgentia erant, quae destructis antiquioribus S. Stephani operibus a Bela III. sunt erecta et a filiis Emerico et Andrea II. consummata. Opera Belae regis III. et filiorum sunt: turris sic dicta alba castrensis in promontorio, conclavia regia in turri et turri adjacentia, capella domestica veteriori superstructa et aliae constructiones contiguas. Quod extra dubium ponunt diploma Emerici regis anno 1198 editum, vetus inscriptio portae speciosae Cathedralis ecclesiae et ipsa rudera aedificiorum usque ad initium secundae contignationis cum ornamentis contemporaneis sub terra conservata et novissime ad lucem edita, quae cunctorum admirationem merentur. Secunda contignatio a Turcis ubique est destructa, sed pede plano et in prima contignatione genuinae videntur constructiones cum caelaturis et picturis.

Consideratis hucusque dictis concludimus, palatium S. Stephani partim a Bela



III. et filiis, partim labentibus saeculis XIV. XV. XVI. ab archiepiscopis fuisse quidem immutatum et amplificatum, tamen demptis posterioribus adjectis in prima forma inter grandissima aedificia saeculi XI. esse connumerandum. Ex ruderibus palatii hodie exstantibus praeter rudimenta fundamentorum, id est muros unum vel duo metra altos, quorum textura aetati S. Stephani propria dignoscitur, nihil aliud jam ad tempus primi regis reducere possumus. Sed fundamenta ejusdem moris per vastum territorium extensa altissimam magni regis culturam enarrant.

Quid architectura favente rege producere valuerit, capitella et alii lapides caelati demonstrant quae olim Cathedralem Ecclesiam a Sancto Rege exstructam ornabant, modo in lapidario Strigoniensi admirantur. Intra muros turris albae Belae regis III. vestigia turris S. Stephani formam unius conclavis 4 metra lati et 5 metra longi cum porta et limine constituunt. Insuper sub capella regia XII. saeculi antiquiorem capellam S. Regis honoribus S. Viti dicatam videmus. Injuria temporum totque vicissitudines castris Strigoniensis saepius oppugnati his duobus locis saltem tantopere domui — praesentia, curis et precibus S. Stephani consecratae — parcebant, ut ibi magna ejus memoria cunctam posteritatem illuminans evocari posset.

Finis.

II. Inscriptiones Latinae

Gymnasii Csurgonensis de Michaele Csokonay nominati.

Anno 1794 condidit hanc scholam Georgius Festetich comes, magnanimus princeps catholicus, ut prope fines regni Hungariae custos esset culturae. Et multos per annos quot discipuli habebant hanc almam matrem? Nomen scholae de praeclaro poeta inditum est, qui hic professor erat, et cui in sepulchro haec erant scripta: «Hic iacent Ovidius, Vergilius, Horatius in Michaele Vitéz Csokonay».

Aedes gymnasii in medio ingenti viridario exstruebatur. Arbores veteres, flores odorati, pinus altae, frutices virides, cantus avium, magna et iucunda loca ludendi faciunt semper caram discipulis hanc scholam. Memoria praeteriti hic est firmissima, vivit in more institutoque discipulorum professorumque, immo nescio an in arboribus, floribus, lapidibus quoque. Etiam monumenta declarant gloriam virorum scholae clarorum. Memoriam virorum excellentium Csokonay, Berzsenyi, Baksay, St. Tisza, A. Kozma servant lapis et aes. Dictum autem conditoris Festetich super portam et ianuas scholae internatae lucet: «Deum time, regem honora!» In aede ephabei (= scholae internae) scriptum admonet nos: «Soli Deo gloria». Si intrabis aedem gymnasii, verba Latina infigunt animo:

Pax Trianon, tria «non» tibi sunt in nomine, non te Accipit inclita gens Hungara, pax Trianon!

In altera parte autem haec haec legere potes:

Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.

Fundationem scholae pictura magna et splendida, a Iulio Merész picta, immortalitati tradit. Sub hanc Latine scriptum est: «Hoc monumentum

maiorum ad memoriam clarissimorum posteritas haud immemor confici iussit».

Vivit ergo in gymnasio Csurgonensi animus verae humanitatis, vivit et agit etiam hodie.



Gymnasium Csurgonense.

Praesertim societati classicae-philologicae inter discipulos anno 1938 ortae humanitas curae est. In conciliis huius collegii linguā Latinā canuntur carmina, latine dicuntur versus, de Graeca Latinaque litteratura et historia, aut de vita Atheniensi Romanaque aguntur studia. Sed simile gaudium afferunt sodalibus ephemeridis carae et amatae «Juventutis» studium et lectio.

Iosephus Tóth dr. Csurgonensis.

AENIGMATA

Solutiones aenigmatum numeri X.

1. Sal, ara, lac. — 2. Sol, ora, lac. — 3. Mars, abeo, reor, sors. — 4. Balo, amat, lavi, otis. — 5. S, is, vis, avis, navis. — 6. Idem velle atque idem nolle: ea demum firma amicitia est. — 7. Ara, area. — 8. Odium, abolent, si, er, miseratio; Hitler, orbis, monet, Asia, tria.

Aenigmata recte dissolverunt: In Hungaria: Veronica Árvay, Melinda Bartha, Eva Bóhm, Petronia Cholnoky, Helena Eckhardt, Barbara Elekes, Ludovica Faust, Ildico Fáy, Clara Göbner, Veronica Hoffmann, Natia Horváth, Susanna Kálmán, Gratia Kerényi, Martha Kertész, Maria Kossaczky, Eva Madocsay, Gabriela Margittay, Juditha Németh, Maria Pieke, Aemilia Pokorny, Susanna Pollacsek, Jolantha Pukánszky, Ferdinanda Rosslaw, Bella Ruitz, Gisela Schlosser, Eva Somogyi, Aurora Turner, Irene Vaszkó (*Szilágyianum*), Emericus Székely (*gymn. Archiep.*), Catharina Bauer, Aemilia Bárány, Melinda Blandl, Anna Bodonyi, Maria Dischka, Susanna Göntér, Ottília Háromszéki, Stella Lozebzhzy, Susanna Mihályi, Agnes Salamon, Eva Stóhl, Margaretha

Szalay, Helena Trombitás, Barbara Varga, Elisabetha Várjon, Helga Vogt (*Angelanum*), fratres Noé (*Vörösmartyanum*) *Budapestinenses*. Ernestus Réti *Dombováriensis*. Franciscus Horváth *Gin-siensis*. Colomannus Csathó *Makonensis*. Maria Kónya *Sabariensis*. Aemilius Pócs *Sarudiensis*. — In Italia: Joannes B. Bellissima.

Praemium sorte Veronicae Árvay, Evae Böhm, Helenae Trombitás, Ernesto Réti, Francisco Horváth, Colomanno Csathó, Aemilio Pócs obvenit.

1—5. *Quadrata magica.*

| | | | | | | | | | |
|----|--|--|--|---|---|---|---|---|---|
| 1. | | | | S | S | R | A | A | L |
| 2. | | | | A | A | L | M | N | S |
| 3. | | | | O | O | B | S | U | U |

- | | |
|-----------------------------|--------------------------|
| 1. Animal domesticum est. | Animal parvum est. |
| 2. Pro «itus» dicitur. | Numerus primus est. |
| 3. Condimentum ciborum est. | Condimentum ciborum est. |

Theresia Weiss
disc. Giselani Bp.

Zoltanus Babocsay
disc. Agriensis.

| | | | | | | | | | |
|----|--|--|--|--|---|---|---|---|------------------------|
| 1. | | | | | A | A | A | A | 1. Forma verbi «esse». |
| 2. | | | | | E | O | O | O | 2. Pro «oro» dicitur. |
| 3. | | | | | T | T | T | T | 3. = faciat. |
| 4. | | | | | G | G | R | R | 4. = cunctus. |

Wolfgangus Zürcher
disc. Tugiensis (Zürich).

- | | |
|------------|-----------------------------------|
| 1. A A A A | Domus. |
| 2. C T S S | Color obscurus est. |
| 3. E E O O | Contrarium est adverbii «mature». |
| 4. N R R R | Frater legum latoris Iudaeorum. |

Philippus Merán
disc. Quinqueecclesiensis (Pécs).

| | | | | | | | | | |
|----|--|--|--|--|---|---|---|---|---|
| 1. | | | | | A | A | A | A | A |
| 2. | | | | | A | B | C | I | I |
| 3. | | | | | I | I | I | I | M |
| 4. | | | | | N | N | P | R | R |
| 5. | | | | | S | S | S | S | S |

- | | |
|---------------------------------|--------------------------|
| 1. Asiae minoris provincia est. | 2. Qui diligit. |
| 3. Forma verbi «rapere». | 4. Pro «ibidem» dicitur. |
| 5. Tabula lignea. | |

Camponovo Netta Sfilena
disc. Lucanensis (Helvetia).

6. *Ad saltum equulei.*

| | | | | |
|--|------|-----|-----|-----|
| | lit. | ces | dos | |
| | mi | na | vat | |
| | iu | pel | da | que |
| | au | ti | tu | |
| | For | | re | |

I. Marcus Valsangiacomo disc. Lucanensis.

7. *Singulis syllabis antependis.*

- | | |
|-----------|----------|
| .. lius | .. taque |
| .. cember | .. cinus |
| .. itio | .. lere |
| .. rator | |

Georgius Fabinyi disc. gymn. IPEA Bp.

8. *Crucigramma.*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1 | | 2 | | 3 |
| | ■ | | ■ | |
| 4 | | | | |
| | ■ | | ■ | |
| 5 | | | | |

- Adlibram*: 1. Regnum mortis.
4. Deus duos vultus habens.
5. Tempus ago.
Ad perpendicularum: 1. Contrarium amoris. 2. Exterior. 3. Planta.

Steph. Bernáth disc. Dombováriensis.

9. *Logogriphus.*

Ad capitis partem pluvius subiungitur arcus.
Quod colit Aegypti gens pia, numen habes.

Fr. Palata Trebicensis (Moravia).

Nota. Lectoribus minimus: 1—4, mediis 5—8, maioribus 9. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem *J. Wagner* (*Budapest, XI., Lágymányosi-utca 30*) mittant.

Terminus solutionem: Calendae Decembres.

EPISTOLIA OFFICIALIA.

Corrigenda numeri I (Sept.): pag. 2: pro «discipuli» lege: discipuli; pag.: pro «6×3, 10×5», etc. lege: 6+3, 10+5, etc.; pag. 7: solutiones aenigmatum numeri IX sunt; pag. 8: pro «Glaudius» lege: gladius; pro «Ölls» lege: Öllös.

S. Kalmár, Fialalok. Libri, quos misistis, recensentur. — *I. Vozáry, V. Bors, St. Csinády, Ph. Merán, A. Stern, Ae. Láng.* Opuscula Vestra omnia prodibunt. — *C. Csathó.* Tertium aenigmatum malum est. Cetera edentur. — *E. Réti.* Crucigramma corrigeatur, ut edi possit. — *P. Neubrun.* Carmen rhythmo caret. Quare ut oratio soluta edetur. — *O. Suszter.* Altera pars commentationum Tuarum nescio probeturne a censore, qui nuperrime de urbibus non receptis a me similiter scripta repudiavit.